



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel


Parisiis, 1679

I. Liber Ruth, pars & velut appendix libri Judicum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

loco quem dixi, *bullas*, & *ornamenta*, Ebraice dicitur שררונים, quod *Lunulas* sonat; Septuaginta reddunt *μωλίσματα*; Hierombalum sive Gedeonem Sanchoniathonis æqualem fuisse diximus supra; Sanchoniathonem autem Trojanum bellum multis præcessisse annis, & ad Moſis ævum proxime accessisse constat ex certissimis Phœnicum Annalibus. Denique Hierombali istius sive Gedeonis, ipsiusque filii Abimelechi meminerunt libri Samuelis. Hæc eo refero, ut tum Libri hujus, tum & rerum de quibus Libro hoc agitur vetustas appareat; ne qua possit de ea oriri dubitatio, si mysterii alijus Novi Testamenti adumbrationem huic inesse Volumini quispiam pertendat.

1. Sam. 12. 11.
& 2. Sam. 21. 21.




DE LIBRO RUTH.

Liber Ruth,
pars & velut
appendix li-
bri Judicum.
Euleb. H. It.
libr. 6. cap. 25.

August. libr. 2.
De doct.
Christi, cap. 8.

Doroth. Syn.
De vit. & mort.
Prophet.
Thalmod. in
Baba batra,
cap. 1.

LIBRUM Ruth partem esse & velut appendicem Libri Judicum, Ebraeorum sententia est. Sic Origenes apud Eusebium: *Κερταί, Ρουθ παρ' αὐτοῖς ἐν ἰσραήλ. Σωφροῦ. Ἰudices, Ruth, apud ipsos (Ebraeos) uno libro continentur. Sophetim.* Hieronymus in Prologo Galeato: *Subiungunt (Ebraei) Judicum Librum, & in eundem compingunt Ruth. Prætereo alios, Hilarium, Epiphanium, Johannem Damascenum. Rationem subjicit Hieronymus, Quia in diebus Judicum facta ejus narratur historia. Verò; nam & id indicat Libri initium. Cum igitur Augustinus, alique ipsum affectati, dixerunt Librum Judicum exordium esse Librorum Samuelis, sic intelligito, historiam hoc Libro expositam, cum iis quæ continent Samuelis libri sponte sua connexam esse: nam historia Ruth velut aditus quidam est ad historiam Davidis, cum Liber ipse libri Judicum sit portio. Quod cum ita sit, par esse debuit, uti reipsa est, de Libri utriusque Judicum & Ruth Auctore fluctuatio Interpretum, & ad eisdem ab iis Scriptores referri, ad Esdram videlicet à plerisque, ad Ezechiam à quibusdam, ad Scribas Tabernaculi à Dorotheo, ad Samuelem à Thalmudistis, compluribusque aliis, ad quos libenter accedimus. De ætate item utriusque paria sentiamus, conſterque saltem genuinum esse juxta nostra Principia, cum ignorabilis sit Auctoris & temporis, uti vulgo esse fertur.*



DE LIBRIS SAMUELIS.

I. *Disputatur de Auctore Librorum Samuelis. Varia opiniones proponuntur.* II. *Partim Samueli, partim Nathani & Gado Prophetis adscribuntur.* III. *Probatum eorum antiquitas & antiquitas.* IV. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum.* V. *Secundum argumentum.* VI. *Tertium argumentum.* VII. *Quartum argumentum.* VIII. *Quintum argumentum.* IX. *Sextum argumentum.* X. *Ex Libris Samuelis quidam manant Græcorum ritus & fabule.*

Disputatur de
Auctore li-
brorum Sa-
muelis. Va-
ria opiniones
proponuntur.
1. Sam. 9. 9.
Grot. Pref. in
Libr. Sam.

Partim Sa-
mueli, partim
Nathani &
Gado Pro-
phetis adscri-
buntur.
Thalmod. Bab.
batra, cap. 1.
Ibid. Or. 16. ca.
2. Par. 29. 29.

LIBRORUM quoque Samuelis dubia est ætas & controversus Auctor. Quidam post Samuelis tempora lucubrationem eorum rejiciunt, propter hanc clausulam capitis noni Libri prioris: *Olim in Israël sic loquebatur unusquisque vadens consulere Deum: Venite, & camus ad Videmem. Qui enim Propheta dicitur hodie, vocabatur olim Videns.* Scribit Grotius Ebraeorum eruditissimis auctorem credi Jeremiam Prophetam Librorum quatuor Regum: causam affert ipse non satis probabilem, similitudinem sermonis, quæ vix apparet. At Libros duntaxat Regum tertium & quartum Jeremiæ adscribunt Thalmudistæ in Babæ batræ primo capite.

II. Librorum vero Samuelis viginti quatuor priora capita à Samuele ipso fuisse scripta; reliqua, quibus res post Samuelis obitum gestæ narrantur, à Nathane & Gado Prophetis, sentiunt iidem Thalmudistæ; sic & R. Moſes Kimchi; sic Isidorus; nisi quod posteriora ad calcem usque operis à Davide vult fuisse scripta; quo argumento, nullus scio. Mihi quidem Ebraeorum sententia reliquis videtur antefrenda, utpote quæ his nitatur verbis Paralipomenon: *Gesta autem David regis priora & novissima, scripta sunt in libro Samuelis Videntis; & in libro Nathan Propheta, atque in volumine Gad Videntis.* Nec dissentit à nobis Theodoretus, cum ait singulos Prophetas suorum temporum historias scribere consueſſe, atque ex his scriptis Libros Re-